

sanctuaria osculati sumus. Diuertentes inde per Lyciam, in manus Arabicorum latronum incidimus; evisceratique de infinitis pecunijs, cum mortibus multorum, et maximo vitæ nostræ periculo vix euadentes, tandem desideratissimam ciuitatem Hierosolymam læto introitu tenebamus. Ab ipso tunc patriarcha Sophronio nomine, viro veneranda canitie honestissimo ac sanctissimo, grandi cymbalorum tonitru, et luminarium immenso fulgore suscepti, ad diuinissimam ecclesiam sanctissimi sepulchri, tam Syrorum, quàm Latinorum solenni processione deducti sumus. Ibi quot preces inorauimus, quot lachrymas infleuimus, quot suspiria inspirauimus, solus eius inhabitator nouit D. noster Iesus Christus. Ab ipso itaque gloriosissimo sepulchro Christi ad alia sanctuaria ciuitatis inuisenda circumducti, infinitam summam sanctarum ecclesiarum, et oratoriorum, quæ Achim Soldanus dudum destruxerat, oculis lachrymosis vidimus. Et omnibus ruinis sanctissimæ ciuitatis, tam extra, quàm intra; numerosis lachrymis intimo affectu compassi, ad quorundam restaurationem datis non paucis pecunijs, exire in patriam et sacratissimo Iordane intingi, vniuersaque Christi vestigia osculari, desiderantissima deuotione suspirabamus. Sed Arabum latrunculi qui omnem viam obseruabant, longius a ciuitate euagari, sua rabiosa multitudo innumera non sinebant. Vere igitur accidente, stolus nauium Ianuensium in porta Ioppensi applicuit. In quibus, cum sua mercimonia Christiani mercatores per ciuitates maritimas commutassent, et sancta loca similiter adorassent, ascendentes omnes maria nos commisimus. Et iactati fluctibus et procellis innumeris tandem Brundusium, et prospero itinere per Apulium Romam petentes, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli limina, et copiosissima sanctorum martyrum monimenta per omnes stationes osculati sumus. Indè archiepiscopi, cæterique principes imperij Alemanniam per dextram repetentes, nos versùs Franciam ad sinistram declinantes cum inenarrabilibus et gratijs et osculis ab inuicem discessimus. Et tandem de triginta equitibus, qui de Normannia pingues exiimus, vix viginti pauperes peregrini, et omnes pedites, macie multa attenuati, reuersi sumus.

The same in English.

I Ingulphus* an humble seruant of reuerend Guthlac and of his

* This Abbot, or pretended Abbot of Croyland (whose name is attached to a work once highly valued, professing to be a history of the Abbey of